

Caeterum non omnia, quorum increduli aut alii *Davidem* insimulant, esse tam gravia peccata, iam supra (1) a nobis ostensum est.

58. QUÆRES LII. *An non sint contradictoria, dum* (3. Reg. 15, v. 14) *de rege Asa dicitur: EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT. Sed* (II. Paralip. 14, v. 2) *commendatur: SUBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CULTUS ET EXCELSA. Item dum* (III. Reg. 22, v. 44) *de rege Iosaphato dicitur: VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. Sed* (II. Paralip. 17, v. 6) *de eodem legimus: CUMQUE SŪMPSSSET COR EIUS AUDACIAM PROPTER VIAS DOMINI, ETIAM EXCELSA ET LUCOS DE IUDA ABSTULIT. An excelsa auferre, et non auferre non sunt contradictoria?* R̄. In neutro horum datur contradictio, nisi duntaxat apparens. Nam *excelsa*, quorum in Scriptura fit mentio, duplicis generis fuere. Alia erant dicata vero Deo altaria in excelsis locis constituta, in quibus ante templi aedificationem aliqua sacrificia per indulgentiam populo permissa fuerant (2). Alia excelsa erant idolorum cultui destinata. Haec ultima rex *Asa* abstulit, non item illa, sibi vires deesse putans, ut et ista subverteret (3). Verebatur enim, ne populus, qui excelsa illa, aedificata etiam templo, ex assuetudine frequentare non omisit, obsisteret, ac ipse quoque ferre cogeretur excelsa idolis dicata, eoquod ferre nolisset ea, quae vero Deo consecrata erant. Eadem est responsio ad alterum. Nimirum *Iosaphat* non secus ac *Asa* pater ipsius, cuius pietatem aemulatus fuerat, demolitos est excelsa idolis dicata, non autem excelsa Deo Israël sacra. Unde cum

(1) Quaest. 21, 26, 33 et 34.

(2) Vide *Theodoretum* in III. Reg. q. 47.

(3) Ibidem q. 42.

(4) II. Paralip. 17, v. 6.

(5) Ibidem. c. 20, v. 53.

Scriptura dixisset (4) *Iosaphat* sustulisse *excelsa et lucos*, postea alio loco (5) subiicit: *Verumtamen excelsa*, scilicet Deo vero dicata, sed ab eo vetita, non abstulit.

59. QUÆRES LIII. *An corvi a quibus Elias* (3. Reg. 17, v. 4 et 6) *pastus est, fuerint veri corvi, vel potius angeli specie corvorum, aut homines arabes, vel mercatores?* Antequam respondeam observo, *Abulensem* (6) censere, quod dici possit fuisse angelos in specie corvorum apparentes, et cibos *Eliae* afferentes; cum angeli sint ministri Dei, et ab hoc ordinentur ad ministerium salvationis nostrae (7); quamvis hic ipse auctor loc. cit. verisimilius iudicet, non fuisse angelos, sed veros corvos. Alii quidam critici ut multiplicationem miraculorum evitent, teste cl. *Bullet* (8) aiunt, vocem hebraeam הערבים quae hoc loco ponitur, hic non significare *corvos*, prout nostra vulgata habet, sed *arabes*, vel *mercatores*: et quidem incolas urbis *Arab* prope *Bethsan*. Sed

R̄. *Elias* neque ab angelis in specie corvorum apparentibus, neque ab arabibus aut mercatoribus, sed a veris corvis pastus est. Nam dictam vocem hebraeam הערבים tam iudaei quam christiani omni tempore intellexerunt et verterunt in nomen *corvi*. Ita enim habet versio graeca LXX interpretum, versio syriaca, paraphrasis chaldaica, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Iosephus*, vetus vulgata (ut ex pluribus citationibus a s. *Augustino*, qui hanc sequebatur, factis patet), nova seu nostra vulgata, patres, rabbini, nostrique interpretes unanimiter. Num

(6) In III. Reg. c. 17, q. 15.

(7) Ad Hebr. c. 4, v. 14.

(8) Réponses critiques, tom. 4, n. 54, mihi pag. 208.

duos vel tres innominatos, aut parum cognitos auctores tam unanimi aliorum consensui praeponere fas est? Et quis est, qui dubitare ausit totam naturam, quanta est, ad Dei conditoris nutum esse paratam? Deus (1) *mandavit locustis, ut absumant terram* (2); *serpenti, ut mordeat rebelles* (3); *pisci, ut evomeret Ionam in aridam*. Quid igitur tam paradoxum aut incredibile apparet in eo quod mandaverit *corvis, ut Eliam pascant*?

Neque nos moratur locus, a quo mensa, a qua corvi alimenta acceperint. Quaestio haec est curiosa magis quam vel utilis, vel necessaria: et ingenue fatetur *Augustinus*, vel quicumque est auctor libri *de mirabilibus s. Scripturae* (4), ignorare se, undenam corvi cibos illos attulerint: *Abulensis* (5) tamen non temere coniectat, haec alimenta fuisse ex regis *Achabi* domo. Quod si verum est, mirifica illa fuit Dei providentia: et intercessit haud dubie aliqua angelorum cura, corvos ceteroqui crudeles et rapaces, ad id ministerium statis horis impellentium, a voracitate compescentium et ad condictum locum conducentium.

Maioris videtur momenti quaestio an *Elias*, salva lege divina, cibum accipere potuerit ab avibus immundis, scilicet a corvis. Sed est haud difficilis solutu. Fuit corvus immunda avis cibo, non tactu; etposito etiam immundum, ex lege caeremo-

niali fuisse cibum, quem forte corvus tetigerit, poterat, qui legem dederat, dispensare ab ea: valetque hic illud (6): *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. Imo vero leges caeremoniales iudaei in casu necessitatis non tenebantur observare. Unde profugus *David* fame compulsus panes propositionis comedit datos ab *Achimelech* sacerdote (7), quorum esus non erat permissus nisi sacerdotibus, et Christus ipse hoc *Davidis* factu discipulos spicas sabbato vellentem excusavit coram pharisaeis (8), dicens: « Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, et qui cum illo erant: quomodo... panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his, qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? »

60. QUÆRES LIV. *An sacrificium ad preces Eliae suapte sponte succensum* (3. Reg. 18, v. 38) *fuerit verum miraculum?* Occasionem huic quaestioni dedit *Ioannes Iacobus Rousseau*, qui (9) ita irridet coelestes flammis, quibus depastum est *Eliae* sacrificium: « Si Baalis sacerdotes, inquit, dominum ROUELLE (10) habuissent secum, strues lignorum, quem paraverant (11), sine adminiculo abiisset in flammis, et *Elias* delusus fuisset: » quibus verbis innuere vult, *Eliam* sine miraculo incendium sui sacrificii sua sponte ortum potuisse obtinere. Verum

R̄. Etiam si *Baalis* sacerdotes dominum *Rouelle* secum habuissent,

(1) II. Paralip. c. 7, v. 13.

(2) Amos c. 9, v. 5. (3) Ion. c. 2, v. 11.

(4) Auctor operis *de mirabilibus s. Scripturae*, l. 2, c. 15, ita inquit: *Unde vero eas carnes et panes ille corvus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat*. Ceterum hic auctor satis certo non est s. *Augustinus*, sed alius quidam, qui l. 2 huius operis c. 4, dum de cyclis disserit, manifestat, se post annum Domini sexcentiesimum vixisse, et haec scripsisse.

(5) In III. Reg. c. 17, q. 16.

(6) Actor. c. 10, v. 15.

(7) I. Reg. c. 21, v. 6.

(8) Luc. c. 6, v. 5 et 4.

(9) In opusculo, quod inscripsit: *Lectres de la Montagne*, pag. 99.

(10) Celeberrimus nostri saeculi chymicus in Gallia.

(11) III. Reg. c. 18, v. 25 et 26.

nunquam ipsorum sacrificium modo tam mirabili succensum fuisset, quo consumptum est holocaustum ab *Elia* praeparatum. Huius enim incensio, spectatis omnibus circumstantiis, fuit verum miraculum. Postquam enim sacerdotes *Baelis* frustra « invocarunt nomen Baal de mane usque ad meridiem dicentes: Baal, exaudi nos... et se inciderunt iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine » incassum expectantes ignem divinitus consumpturum holocaustoma, quod praeparaverant, iamque « transiisset meridies . . . dixit *Elia* omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit (*i. e. rursum erexit et instauravit*) altare Domini, quod destructum fuerat. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum trium filiorum *Iacob* . . . Et aedificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquaeductum quasi per duas aratiunculas (*seu duos sulcos, quales aratro ducuntur*) in circuitu altaris. Et composuit ligna: divisitque per membra bovem, et posuit super ligna (1). » Ut autem ignis, quem coelitus accendendum praestolabatur propheta israelitarum oculis tanto splendidius illucesceret, ita inquit ad illos: « Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum et super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio, et curbebant aquae circum altare, et fossa aquaeductus repleta est (2). » Debebat namque triplex haec aquae affusio miraculum in oculis populi reddere illustrius, et omnem cau-

(1) Ibidem v. 26-34.

(2) Ibid. v. 34 et 35.

(3) Ibid. v. 38.

(4) Ibid. v. 39.

(5) Apud s. *Cyrrillum* l. 10, *Iulianus*

sarum naturalium suspicionem adimere. Mox vero atque *Elia* suum et totius Israelis Deum ardentibus invocaverat precibus, *cecidit* (*de coelo addunt Lxx interpretes*) *ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quae erat in aquaeductu lambens* (3). Quos effectus frustra expectaveris ab igne ordinario, ne quidem a solari per lentes tshirhusianas concentrato. Ne scintilla quidem ignis, antequam is de coelo cadebat, aderat; madebant aquis ligna, sacrificium iis impositum, ara ipsa; imo hanc circumfluebat deflua ex altari aqua in fossa seu elicesatis amplo. Et en! non accenditur duntaxat coelitus lignum, non solum consumitur holocaustoma, sed calcinantur lapides, e quibus constructum fuerat altare, acsi per aliquot dies expositi fuissent vehementissimo calcarii fornacis igni, rediguntur in pulverem, et exsiccat prorsus fovea. Unde populus in conspectu tanti miraculi « cecidit in faciem suam, et exclamavit: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus (4). » Neque tacendum, quod ipse quoque *Iulianus* imperator licet infestissimus christianae religionis hostis (5) tam stupendum ignis, quem *Eliae* preces de coelo elicuerant, effectum inter prodigia numeraverit. « Visum fuit, inquit ille, prodigium hoc iam pridem Moysis tempore, ac multo post aevo *Eliae Thesbitis*. » Atque, ut opinor, ipse etiam *d. Rouelle* memoratum effectum pro miraculo habuit semper; neque unquam, non dico quid simile praestitit, sed neque tentandum sibi unquam existimavit.

apostata ait: *Ignis enim non descendit, quemadmodum Moysis tempore, qui victimas consumat. Semel hoc sub Moyse factum est, et sub Elia Thesbite iterum, longo post tempore.*

61. QUARES LV. *An caedes sacerdotum Baal* (3 Reg. 18, v. 40) *iuste patrata sit?* Antequam respondeam, observo, quod *Baelius* famosus tolerantiae praeco (1) acerrime invehatur in *Eliam*, quod sine officio civili, iureque gladii innocios homines, qui *Baal* pro Deo haberint, eiusque causa tam multa et egerint, et tulerint, mulctarit morte velut homines orco devotos, apud quos nec monitis, nec emendationi iam locus esset. Cui, eiusque asselcis

ŕ. Cum cl. *Weissenbach* (2), et dico, apud hebraeos fuisse lege (3) cautum, ut falsus propheta occidatur. Nimirum in theocratico regimine, quale fuit illud hebraeorum, pseudopphetam agere erat publicum crimen divinae maiestatis laesae. *Elia* autem agebat nomine Dei, cuius legatus fuit. Praeterea sacerdotes *Baal* erant impietatis antistites et doctores idololatriae, dumque suum *Baalem* commendabant et colebant, Israelis Deum despiciabant et obscurabant, sicque erant blasphemi in verum Deum, quos Deus per *Moysem* iusserat occidi (4). Unde auctor *de mirabilibus s. Scripturae* (5) ait: « Sacerdotes ergo idolorum sine homicidii culpa *Helias* Dei servus interfecit. Quippe qui erat in illa lege, quae dicit, **BLASPHEMUM NON PATIERIS VIVERE**. Nullus hominum ergo idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit. Ac per hoc qui idololatriae cultores mactaverat, blasphemos et sacrilegos de terra purgabat. » Et s. *Basilii* (6) inquit: « Illum, qui tanquam pharmaco ad ea, quae oportet, ira utitur, Dominus minime condemnat.

(1) In dictionario historico-critico.

(2) Tom. 2 *Nova forma theol. bibl.* q. 35, pag. 108 et 109.

(3) Deut. c. 15, v. 5.

(4) Lev. c. 24, v. 16.

Moyses omnium hominum mansuetissimus vituli idololatriam damnans, levitarum manus in caedem fratrum armavit. Phinees iusta contra publice fornicantes ira, ut oportebat, usus, protinus utrumque trucidavit. *Samuel* regem *Amalec* iusta ira in medium trahens occidit. Sic itaque fit ira saepenumero bonarum actionum ministra. *Elia* vero zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, et quadringentos sacrorum nemorum comedentes de mensa *Iezabel*, iusta sapientique indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulctaretur, effecit. »

Neque popae *Baalim* ignorantia peccabant, probe gnari prodigiorum, in gratiam mosaicae legis divinitus patraturum. Imo cum ob oculos eorum hoc prodigium sacrificii igne de coelo cadente ad preces *Eliae* consumpti recens patratum esset, tamen non leguntur mutasse mentem. Iure ergo dederunt poenas.

Quid vero (quod maxime veretur *Baelius*) si nostra aetate intolerantes quidam exemplo *Eliae* tueri auderent sua consilia? ŕ. Recte facturos, modo suam *vocationem* prodigiis firmarent, solisque Dei hostibus obstinatis ex mandato Dei inferrent manus, ut fecit *Elia*.

At INQUIES: Christus *Eliae spiritum* improbavit, aut certe in lege nova abrogavit. Nam, cum *discipuli eius Iacobus et Ioannes ad eum dixissent: Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de coelo* (prout nimirum *Elia* eundem de coelo evocavit), *et consumat illos samaritanos, qui Christo diversorium negabant; is increpavit illos, dicens: Nescitis*

(5) Lib. 2, c. 18. Porro, quis sit iste auctor operis *de mirabilibus s. Scripturae*, indicavimus supra quaest. 55, in nota (4).

(6) Homil. 20 de Ira.

cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare (1). *¶* Christus his verbis non occisionem sacerdotum *Baal*, sed factum *Eliae* longe aliud respexit. poenam nimirum militum, quos titulo *hominis Dei* se ludum facientes, idem propheta igne descendente de coelo cremavit (2). Itaque sensus verborum Christi, prout ea interpretes communiter et recte explicant, est: « Nescitis, ad quem spiritum a me vocati et electi estis: vultis imitari zelum *Eliae*, qui duos pentacontarchos cum suis militibus igne coelesti cremavit: sed nescitis hunc spiritum esse veteris legis, in qua dominabatur spiritus severitatis. Sic enim regendi erant homines illius aevi, utpote statu et conditione servi. Vos vero qui in lege filiorum estis, qui spiritum legis novae et evangelii sequi debetis, oportet mitiori spiritu regi, et me imitari, qui mitis sum et humilis corde, nec veni animas perdere, sed salvare. » Igitur Christus hoc loco nec improbat spiritum *Eliae*, utpote legi veteri accommodatum, nec prohibet, scelera (maxime iniurias Deo et religioni illatas) severe punire, sed solum commendat mansuetudinem et mititatem, ne quis sub praetextu, quod a spiritu Dei agatur, se sinat agi spiritu humano impatientiae et vindictae.

SCHOLION. Mirabitur fortasse aliquis, quod rex *Achab*, qui in illo caetu aderat, et cuius imperia omnes illi popae *Baal* convenerant, nihil contra *Eliae* consilium, et populi conspirationem volentis occidere hos pseudo-prophetas molitus sit. Sed plane impio regi Deus ti-

(1) L. c. 9, v. 54-57.

(2) IV. Reg. c. 1, v. 9-15, in quem locum Scripturae vide *Menochium*, et alios interpretes.

(3) III. Reg. c. 22, v. 6.

morem incussit, et subiti illius incendii coelestis sacrificium *Eliae* consumentis admiratio regios fregit spiritus. Neque alioqui satis potabat tutum, incitatam et illius miraculi stupore attonitam multitudinem a suo conatu tam ardenti et alacri prohibere. Ita *Sanctius* et *Menochius*.

62. QUÆRES LVI. *An propheta Michaeas a mendacio et fraude excusari possit, dum (3 Reg. 22, v. 15) regi Achab interroganti, num eundum sit in Ramoth Galaad ad praeliandum, vel non?* RESPONDIT: ASCENDE, ET VADE PROSPERE, ET TRADET EAM (urbem) DOMINUS IN MANU REGIS; cum tamen postea Achab in eo praelio occisus sit? *¶* *Michaeas* non ex sua, sed ex regis *Achab*, eiusque falsorum prophetarum, quos impius hic rex iam ante (3) consuluerat, mente, ac ironice utens iisdem verbis, quibus falsi prophetae victoriam regi praedixerunt (4), loquebatur, quasi diceret, ut ait *Cornelius a Lap.*: « Quandoquidem, o Rex! prophetae tui tibi victoriam spondent, et tu eis credis, vade ad praelium, et experire illorum praedictionem: ego, quamvis te in hoc praelio periturum praevideo, non dicam tibi, cum indignus sis, qui veritatem audias a Deo, postquam mendacem *Baal* consuluisti. » Et profecto ipse rex *Achab* ex vultu, gestu et modo dicendi *Michaeae* videbat, eum non serio, sed ironice loqui, dum victoriam praedixit. Unde non acquievit, sed eundem adiuverat, ut veritatem dicat, verumque oraculum serio ex animi sui sensu depromat: « Dixit autem rex ad eum; iterum atque iterum adiuro

(4) Ibidem, v. 12, ubi dicitur: *Omnesque prophetae (i. e. pseudoprophetae) similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis.*

te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine Domini (1). » Cumque exin *Michaeas* ipsi exitium praediceret, impius rex ad suos ait: « Mittite virum istum (nimirum *Michaeam*) in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiae, donec revertar in pace (2). » Ex quibus omnibus patet, *Michaeam* nec mendacii, nec fraudis in toto hoc facto argui posse.

63. QUÆRES LVII. *An non sit contradictio, dum (3 Reg. 22, v. 34) dicitur: VIR AUTEM QUIDAM TENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASU PERCUSSIT REGEM ISRAEL (i. e. Achab) INTER PULMONEM ET STOMACHUM. Contra (2 Paralip. c. 18, v. 33) idem rex Israel SAGITTA INTER CERVICEM ET SCAPULAS PERCUSSUS scribitur?* *¶* Nulla hic est contradictio, sive cum *Abulensi* dicas, sagittam hanc intrasse inter cervicem et scapulas Achabi, ac penetrasse usque ad regionem corporis pulmonem inter et stomachum, sive cum *Menochio* arbitreris dictam sagittam ex inferiore loco in regem curru eminentem (3) emissam per anteriorem armorum commissuram ingressum inter pulmonem et stomachum, sursum versus inter scapulas, et cervicem prorupisse.

CAPUT IV.

De libro IV Regum.

64. QUÆRES LVIII. *An verisimile sit, quod Elias (4 Reg. c. 2, v. 11) curru igneo, et equis igneis per tur-*

(1) Ibid. v. 16.

(2) Ibid. v. 27.

(3) Authentiam et divinitatem sacrorum librorum veteris et novi Testamenti theologi aut polemici orthodoxi passim demonstrant, quales sunt *Hermannus Goldhagen* introduct. in s. Scripturam p. I. aliique.

(4) Nahum c. 2, v. 5, ubi dicitur:

binem in coelum raptus sit, sub finem mundi, ut christiani volunt, rediturus? *¶* Et verisimile, et verum hoc est, utpote ab ipso Verbo Dei scripto, tot motivis credibilitatis stabilito, assertum. Neque ipsa ratio in hoc facto aliquid absurdi aut *ἀδυνάτου* detegere poterit. Quid enim hic absurdum, sanaeque rationi adversum existimas? An quod currus igneus et equi ignei dicantur rapuisse *Eliam*? Sed, ut *Sanctius*, *Cornelius a Lap.*, aliique interpretes exponunt, hic currus et hi equi non erant vere ignei, sed habebant formam et speciem ignis. Erant enim nubes splendidissima ministerio angelorum aut alia quacumque ratione in currus equorumque similitudinem efformata, quae accipit *Eliam*, illumque ita amplexa est, ut in curru sedere ac vehi videretur. Atque hic modus explicandi videtur facilius, et aliud evitat miraculum, quo et *Elias* in corpore adhuc passibili et mortali non fuit adustus, nec pallium ad *Eliseum* missum est ustulatum. Accedit, quod turbo non tam rapiat ignem, quam nubem. Praeterea hic modus explicandi a modo loquendi s. Scripturae, et etiam profanorum scriptorum non est alienus. Id enim quod splendidum et fulgens est non raro igneum vocatur. Sic in Scriptura (4) inaurati et splendidi chaldaeorum clypei ignei dicuntur, item et habenae currus; et quae toties (5) vocatur *columna ignis* israelitis in deserto de nocte viam monstrans, illa splendida et non ve-

Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis; igneae habenae currus in die praeparationis eius.

(5) Exod. c. 13, v. 21 et 22, et c. 14, v. 24. Num. 14, v. 14; item II. Esdrae, c. 9, v. 12 et 19; item Sap. c. 18, v. 5. Praeterea idem lumen israelitis de nocte lucens ignis etiam vocatur in psal. 77, v. 14; et in psal. 104, v. 59.

re ignea (1) communiter existimatur, ut etiam (2) putavit *Abulensis*. Idem autem modus loquendi, ut dixi, etiam profanis scriptoribus frequens est, qui igneum appellant aut flammeum, seu ardens id, quod est splendidum; sic *Maro* (3):

Stans celsa in puppi, clypeum tum deinde
sinistra
Extulit ardentem.

Et iterum ibidem:

Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur: et vastos umbo vomit aureus ignes.

Et ad nostrum institutum accommodatus, nubes, qualis hic existimatur esse igneus currus, ardere dicitur, cum fulget:

Qualis cum caerula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget.

Porro ex hac historia *Eliae* curru igneo in coelum rapti occasionem sumpsisse putantur poëtae gentiles, solem curru igneo imponendi et equis igneis circumvehendi (4).

Eliam autem sub mundi finem rediturum, viamque Dominoparaturum, aperte Scriptura docet (5). Quod traditio quoque et patrum auctoritas, quorum verba *Natalis Alexand.* (6) prolixè citat, luculenter confirmat. Sed ipsi etiam iudaei cum christianis hic plane id ipsum sentiunt, teste s. *Iustino M.*, qui (7) *Tryphonem* iudaeum hunc in modum interrogat: « An non *Eliam* Verbum per *Malachiam* adventurum esse dicit, ante magnam et

(1) Sic *Cornelius a Lap.* comment. in Num. 9, v. 15, ait: « Hinc liquet verius esse, ignem hunc columnae nocturnum non fuisse verum ignem, sed quasi ignem, id est habuisse speciem ignis, ut dicitur Num. 9, v. 15 et 16 » ubi ita legimus: *Igitur die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane. Sic fiebat iugiter; per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis.*

(2) In IV. Reg. c. 2, q. 17.

(3) Lib. 10 *Aeneid.*

terribilem istam Domini diem? » Respondet *Trypho* iudaeus: *Maxime*. Tum s. *Iustinus* pergit: « Si ergo ratio cogat fateri, duos futuros Christi adventus prophetarum responsis praedictos esse: alterum cum passioni subditus, et inhonoratus, et informis apparebit; alterum cum gloriosus et iudex omnium aderit: annon terribilis et magni illius diei, hoc est, secundi adventus eius *Eliam* praecursorem fore, Verbum Dei praenuntiasse intelligemus? » Respondet *Trypho* denuo: *Maxime*.

Itaque sententia *Grotii* (8), aliorumque ex sectariis, qui hunc reditum *Eliae* impugnant, omnino reiicienda est, utpote nullo nixa argumento. Vide *Natalem Alex.* loc. cit., et interpretes ad citatos Scripturae locos.

65. QUÆRES LIX. *An non factum Elisei prophetae, dum* (IV. Reg. 2, v. 23, et 24) in PUEROS PARVOS, qui de civitate *Bethel* egredientes ipsi ob calvitiam illudebant, DUOS URSOS immisit, QUI LACERAVERUNT EX EIS QUADRAGINTA DUOS PUEROS, fuerit inhumanum et crudele? Hic notandum, quod *Tindalius*, teste cl. *Weissenbach* (9), nullum aliud facinus *Elisei* vehementius impugnet, quam istud. Sed etiam d. de *Voltaire* alique increduli (10) ei theoninum dentem infigunt. Imo teste cl. *Bullet* (11) non desunt ho-

(4) Vide *Tirinum* comment. in IV Reg. c. 2, v. 11.

(5) *Matthaei* c. 17, v. 10. *Malachiae* c. 4, v. 5. *Ecclesiast.* c. 48, v. 1.

(6) Tom. 2 *Histor. eccles. veteris Testamenti* in quintam mundi aetatem, disert. 6.

(7) In dialogo cum *Tryphone* iudaeo.

(8) Annotationibus in c. 17 s. *Matthaei*.

(9) Loc. cit, pag. 115.

(10) *Esprit du judaïsme*, c. 9, pag. 150. *Bible expliquée*, pag. 402.

(11) *Réponses critiques*, tom. 1, n. 53, mihi pag. 212.

mines impii, qui hic renovant blasphemiam manichaeorum, Deumque *Israëlis* crudelitatis insimulant, quod evocando de sylva ursos illos operam praestiterit truculento et vindictae cupido seni ad iugulandas innocentes illas creaturas, uti illos pueros *philosophia histor.* appellat (1).

Verum facillima *Elisei* et s. *Scripturae* defensio est, modo res, ut decet, penitus examinetur. *Eliseus* venerat in urbem *Bethel*, superstitionis sedem; ubi vituli aurei *Ieroboami* etiamnum colebantur. Cives, qui aegre ferebant, hominem ad cultum Dei veri restaurandum, subire urbem suam, subornarunt petulantes pueros, ut illum de ridiculo haberent. Illis ergo accurrentibus magno numero, et illudentibus, *Eliseus* non tam ludibrio sui, verum ministerii sui sacri offensus, ut Dei honorem in hac sede superstitionis vindicaret, maledixit illis. Unde ursi, stragesque puerorum. At

OPPONES I. *Propheta Eliseus* in hoc facto cupiditati vindictae videtur indulsisse. *Minime*; si enim studio ulciscendi sui maledixisset, a Deo auditus nequaquam fuisset. Quia ergo Deus huius prophetae approbavit studium et zelum, adducens duos ursos ad puniendos petulantes pueros, patet, quod *Eliseus* non ex spiritu humano vindictae, sed divino afflatu impulsus et ex iusto religionis zelo maledixerit. Atque hunc sensum habent verba *Scripturae* (2) dicentis: *Maledixit eis in nomine Domini.*

OPPON. II. Tamen elucet immanitatis aliquid in ursis evocandis, praesertim quia erant pueri parvi (3)

(1) *Philos. de l'hist.* c. 43, p. 240.

(2) IV. Reg. c. 2, v. 24.

(3) *Ibidem* v. 23.

(4) *S. Chrysostomus* l. 5 adv. vitupe-

iniuriae *Eliseo* illatae gravitatem non intelligentes; in quos proin minime decebat tam severe animadvertere. *Minime*. Proprie loquendo non *Eliseus*, sed Deus ursos de saltu evocavit. *Propheta* solum, invocato Dei nomine, pueris a Deo iustam punitionem expetiit, de cetero hanc rem arbitrio laesi *Numinis* permittens. Neque tam rudes aut adeo parvuli (4) erant pueri illi, ut prophetam minime agnoscerent, et pares haud essent dignoscendo in illius persona characterem et dignitatem prophetae, ac ministri *Domini*, qui colebatur in *Iuda*. Accedit, quod clades illa puerorum potius opus fuerit divinae clementiae, dum illi de medio sublatis sunt, quos Deus, si vitae contigisset usura diuturnior, deteriores fore praevidebat. Si enim diutius vixissent, sceleratioribus et in idololatria roborati parentum doctrina et exemplo evasisent. Denique cruenta illa puerorum clade Deus magis parentes, quam pueros punire voluit; parentes enim filiis instillabant suam idololatriam, et contemptum veri Dei eiusque prophetarum.

NEQUE DICAS, prorsus gratis asseri, hos pueros a parentibus instigatos fuisse ad illudendum prophetae. Nam ratio hoc dicendi est, quia civitas illa, unde haec multitudo puerorum egressa est, plurimis abundabat idololatriis, qui veram religionem contemnebant, ac proin valde verisimiliter insultabant his, qui alienam profitebantur religionem, et illis maxime, quos impensius videbant pietati servire, quorum e numero *Eliseus* erat. Cum ergo id ferat natura rerum, ut parentes liberos suos moribus

ratores vitae monast. putat, pueros hos ea aetate fuisse, ut facti rationem reddere tenerentur, atque decem saltem essent annos nati.

suis imbuant, et liberi parentum expriment mores, omnino credibile est, pueros illos exemplo, et monitis parentum ad illudendum prophetae incitatos fuisse. Certe haec est communis sententia interpretum, quibus etiam partes adstipulantur. Sic s. *Iustinus M.* (vel quisquis est auctor antiquus quaestionum ad orthodoxos) ait (1): «Itaque non est propheta (*Eliseus*) culpandus propter severitatem. Cum enim comperisset patientiam non praebere peccantibus sensum peccati, cumque voces illas quas dicebant pueri, prophetam contumelia afficientes, a parentibus suis, qui semper infensi fuerant prophetis, didicissent... propterea occisione puerorum castigavit parentes, ut discerent, non afficere contumelia prophetas, et per eos Deum.» Similiter s. *Augustinus* (2) expresse affirmat, pueros illos ex instigatione parentum suorum *Eliseo* illuisse. Quia autem hic locus *Augustini* tam veterum manichaeorum,

(1) Quaest. 80.

(2) Sermone 204 de tempore, nunc 41 in appendice editionis operum s. *Augustini* maurianae, ubi haec crisis maurianorum additur: In appendice nunc primum (hic sermo) collocatur. Dubius (an ad genuina s. *Augustini* opera hic sermo pertineat) a Lovaniensibus, a Verlino et Vindingo supposititius putatur. Videtur nobis (i. e. maurianis) ad Caesarium pertinere. Confer eius hom. 14 inter editas a V. C. Baluzio. Ceterum etiamsi ille sermo 204 de tempore non esset D. *Augustini*, sed *Caesarii Arelatensis*, qui cum s. *Augustino* saeculo v. floruit, magnae tamen foret auctoritatis. Porro ne quaeso, eruditus lector miretur, quod dictam homiliam 14 inter editas Parisiis an. 1669 a *Stephano Baluzio*, non inveniat in aliis editionibus homiliarum *Caesarii Arelatensis*. Testatur enim ipse *Baluzius* in praefat. quod hae 14 homiliae nondum sint typis impressae. Verba eius sunt: *Caesarii Arelatensis episcopi homiliae non uno omnes tempore editae fuerunt, sed diversis, prout eas doctorum virorum industria edu-*

quam nostrae aetatis incredulorum obiectionem contra memoratum *Elisei* factum distincte confutat, totum illius contextum hic adducendum censui. «Cum divina lectio, inquit, legeretur, audivimus, quod praetereunte *Eliseo* pueri iridentes clamaverunt, ASCENDE CALVE. Ob quam rem orante *Eliseo*, EGRESSI SUNT DUO URSI DE SALTU, ET LACERAVERT QUADRAGINTA DUOS PUEROS. Inimici Dei et hostes animae suae immundissimi manichaei, qui Scripturam veteris Testamenti non solum recipere nolunt, sed etiam rabido ore blasphemare praesumunt, solent dicere: Quae fuit tanta crudelitas in *Eliseo*, ut propter iocularia verba infantum, quadraginta duos pueros fecerit lacerare? Et ideo qualiter eorum insaniae respondendum sit, brevis caritati vestrae suggeremus. Tempore illo, quo beatus *Eliseus* in Iudaea fuit, tam ille quam reliqui prophetae, non solum non honorabantur ex maxima parte populi, sed etiam ir-

xit e penetrati antiquitatis. Nunc demum nos quatuordecim vulgamus, quae nondum prodierunt, descriptas ex pervetusto codice M. S. quem nobis pro sua humanitate et amicitia nostra subministravit vir clarissimus Petrus Carcavius bibliothecae regiae praefectus. Continet hic regius codex quamplurimas *Caesarii* homilias, omnes editas, praeter istas quatuordecim. Porro in laudata homilia 14 *Caesarii* de illo *Elisei* facto ita loquitur: Ho: etiam et de beato *Eliseo* sentire debeamus: cui cum luxuriantes pueri clamarent, *Ascende calve, ascende calve*, Spiritus sanctus, qui in ipso habitabat, imperavit ut ascenderent duo ursi, et lacerarent quadraginta et duos pueros... ideo pauci percussi sunt, ut plurimi sanarentur. Ut quia prophetas iudaei non solum contemnebant, sed etiam irridebant, tali plaga percussi agnoscerent potentiam Spiritus sancti... Si ergo hoc Spiritus s. operatus est, nefas est beato *Eliseo* aliquid imputare; quia et revera tantam potentiam solus homo sine Spiritu s. habere non potuit.»

risui et opprobrio habebantur.... Nam in illo tempore sancti prophetae ita in grandi contemptu et opprobrio habebantur, ut etiam beato *Eliseo*, qui tanta miracula faciebat, sicut supra diximus, pueri indisciplinati clamarent, ASCENDE CALVE, ASCENDE CALVE. Quam rem etiam parentibus suis instigantibus fecisse credendi sunt. Manifeste pueri illi non clamarent, si hoc eorum parentibus displiceret. Dolens ergo b. *Eliseus* de interitu populi, imo sanctus Spiritus per b. *Eliseum* volens reprimere superbiam iudaeorum, fecit venire duos ursos, et laceraverunt quadraginta duos pueros; ut percussis parvulis maiores reciperent disciplinam, et mors filiorum fieret disciplina parentum, et prophetam, quem mirabilia facientem nolebant amare, discerent vel timere.» Hucusque s. *Augustinus*, vel *Caesarius Arelat.*, aut alius quicumque pervetus et praeclarus Scriptor.

66. QUÆRES LX. Num ex illis *Elisei* verbis (IV. Reg. 3. v. 15): NUNC AUTEM ADDUCITE MIHI PSALTEM, CUMQUE CANERET PSALTES, FACTA EST SUPER EUM MANUS DOMINI, *Spinoza* recte probat prophetas in prophetando variasse pro varia et diversa dispositione temperamenti corporis sui et imaginationis suae? Antequam respondeam, iuvat recitare ipsa *Spinozae* verba (1) adducentis in sententiae suae patrocinium ipsum hoc *Elisei* exemplum. «Revelatio, inquit, variabat in unoquoque propheta pro dispositione temperamenti corporis et imaginationis. Si enim propheta erat hilaris, ei revelabatur victoriae, pax, et quae porro homines ad laetitiam movent. Tales enim similia saepius imaginari solent. Si contra tristis erat, bella,

supplicia, et omnia mala ei revelabantur; et sic, prout propheta erat misericors, blandus, iracundus etc., eatenus magis aptus erat ad has, quam ad illas revelationes. Hoc constat ex isto casu *Elisei*, II. Reg. III 15, qui, ut Ioramo prophetaret, organum petiit, nec Dei mentem percipere potuit, nisi postquam musica delectatus fuit, tum demum Ioramo cum sociis laeta praedixit, quod antea contingere nequirit, quia regi (Israëlis) iratus erat, et qui in aliquem irati sunt, apti quidem sunt ad mala, non vero bona de iisdem imaginandum.»

Verum absit hic *Spinozae* naturalismus, qui naturae id donum prophetiae tribuit, quod Deo unice adscribi debet. Praedicuntur enim a prophetis, et saepissime ab iisdem praedicta sunt futura contingentia, quae cum rerum natura, cum dispositione temperamenti corporis et imaginationis prophetae nullam habent connexionem, sed a Dei solius nutu et causarum liberarum arbitrio dependent. Ad hanc divinitus concessam futurorum notitiam pertinet et praesens casus. Cum eo sane, quod hoc loco praedixit *Eliseus*, nullum habet nexum musica, quae attentum quidem reddere valet hominem, et animo sedatum, neutiquam prophetam. Nam negari quidem non potest, musicae magnam esse vim in flectendis, domandis, aut mutandis affectibus. Unde teste *Cicerone* (2) solebant *pythagorei* mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem reducere. Et forte hic animus prophetae *Elisei* distractus aut commotus per modulamina musica in ordinem fuit redactus, et attentior tanto redditus ad inspirationem divinam. Et Deus ipse per-

(1) In tractatu theologico-politico, c. 11.

(2) Tusc. 4, q. 1. 4.

saepe rebus naturalibus, tanquam suis creaturis, harumque actionibus, passionibus, motibus utitur pro liberrimo suo arbitrio ad executionem suae voluntatis. Sic concessero facile, animum *Elisei* ob perversos *Iorami* regis Israël mores turbatum, aut etiam iratum, modulaminibus harmonicis fuisse mitigatum. Sed nondum haec sufficiunt ad prophetiam, non ad praedictionem futurorum, quae a Dei, et causarum liberarum arbitrio dependent, vel cum causis naturalibus secundum communes naturae leges nullum prorsus habent nexum, qualia fuerunt tum aquae sine pluvia, tum victoriae de rege *Moab* ab *Eliseo* promissae, et post promissionem reapse subsecutae. Audiamus hac de re ipsum textum sacrum (1): « Cumque caneret psaltes, facta est super eum (i. e. super *Eliseum*) manus Domini, et ait: Haec dicit Dominus: Facite alveum torrentis huius fossas et fossas. Haec enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: et alveus iste replebitur aquis (h. e. facite multas scrobes et fossas in toto hoc loco, in quo solet torrens decurrere, et absque vento vel pluvia Deus aquas de thesauris suis promet, et per alveum torrentis effundet), et bibetis vos et familiae vestrae, et iumenta vestra. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam *Moab* in manus vestras... Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce, aquae veniebant per viam *Edom*, et repleta est terra aquis... Porro consurgens Israël, percussit *Moab*.... Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt *Moab* (i. e. *moabitas*). »

(1) IV. Reg. c. 5, v. 15-25.

(2) Vide *Isai*. c. 50. *Daniel*. c. 9. *Osee* c. 13. Porro de hac re etiam *Cornelius a*

Itaque nequaquam subsistit superpositum *Spinozae*, prophetas pro vario corporis temperamento ad has magis quam alias revelationes fuisse aptos. Nam quae a solius Dei vel liberarum causarum arbitrio dependent, aut nullum prorsus cum naturalibus causis nexum habent (qualia tamen saepenumero praedixerunt prophetae), illa hoc ipso neque cum temperamento corporis prophetae, neque cum huius imaginatione connexionem habent. Deinde haud raro prophetae vaticinia sua tristi sunt exorsi comminatione aut lamentis, sed laetissimas subnexuere rerum vices (2). Unde absurdum id in *Spinozae* sententia sequeretur, temperamentum mutasse eos unica saepe hora.

COROLLARIUM. Ex hactenus dictis etiam patet, quam ridicula et male fundata sit *Spinozans* eorum opinio, qui prophetiam deducunt ex atomorum confluxu et cum anima communicatione: vel platonizantium insana mens, qui effectum vaticinii mirabilem adscribit animae mundi intelligenti, cuius ἀπόσπασμα seu velut abstracta quaedam particula sit hominis anima per musicam excitata, et subtilitate sua res futuras praevidens. Taceo eorum ridicula somnia, qui volunt, animam musicae beneficio coelestium corporum harmonia illectam e corpore expatiari, et futurorum cognitione saturam redire in corporis carcerem, eumque agitare et quaterre. Somnia, inquam, nullo nixa fundamento, derisione quam refutatione digniora. Manet igitur hoc inconcussum, prophetiam illam *Elisei* fuisse omni musica longissime superiorem, quae solum adhibita fuit, ut sono suavi et harmonia mu-

Lap. in 4 prophetas maiores disserit canone 12 inter *canones prophetis facem praeferentes*.

sices animum *Elisei* nonnihil indignatione in regem Israël commotum colligeret, sedaret, eumque in Deum orando sustolleret, et ad recipiendam a Deo prophetiam disponderet; ut *s. Gregorius* (1) eleganter docet. Animus enim effervescens aut commotus non erat aptus s. Spiritus afflatui excipiendi, qui affectus quietos requirit. Porro psaltes ille, qui suo cantu excitavit spiritum *Elisei*, et ad excipiendum divinum afflatum apte disposuit, ait *Theodoretus* (2), fuit levita, qui psalmos pios a *Davide* compositos psallere solebat, quibus valde verisimiliter ipse propheta preces et pia suspiria admiscuit.

67. QUÆRES LXI. An propheta *Eliseus* ab errore et scelere excusari possit, dum (IV. Reg. 5, v. 18 et 19) *Naaman Syro concessit, ut comitando dominum suum regem Syriae coram idolo Remmon adoraret?* Antequam respondeam, observo, deistas hunc in modum nobiscum cavillari. *Naaman*, inquit, *Eliseo* prophetae loc. cit. casum, quem vocant, *conscientiae* proposuit: an scilicet, cum dominus suus rex *Syriae* innitens brachio suo idolum *Remmon* adoraret, liceret sibi una cum rege flectente inclinari et provolvi? Respondit autem, aiunt, *Eliseus*, quod *laxissimus theologorum moralium non respondisset:*

(1) Homil. in *Ezechielem*, ubi ait: Cum eum (i. e. *Eliseum*) *Iosaphat* (qui cum rege Israël, et rege *Edom* adversus regem *Moab* tunc egrediebatur) de futuris requireret, et prophetiae ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiae ad hunc spiritus per laudem psalmodiae descenderet, atque eius animum de futuris repletet. Vox enim psalmodiae cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae mysteria, vel compunctionis gratiam infundat.

(2) In lib. IV. Reg. q. 41, ubi ait;

poneret hanc curam, neque ideo deinceps sollicitus esset. Cum enim *Naaman* ad *Eliseum* dixisset: « Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum (Deum) pro servo tuo, quando ingreditur Dominus meus (rex *Syriae*) templum *Remmon*, et illo innitente super manum meam si adoravero in templo *Remmon*, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus (Deus) servo tuo pro hac re, propheta dixit ei: vade in pace. » Numquid, inferunt irrisores s. Scripturae, spirans imago poenitentis simulati et indulgentis confessarii hic una exhibetur? Nempe apertissime sibi contradicunt scriptores canonici: et cum alias tanto ardore omnem speciem idololatriae detestentur, hic eam haud secus ac civilem caeremoniam omni crimine absolvunt. Ita increduli vehementia magna. Verum audiat et altera pars. Itaque

¶. Et dico, *Eliseum* non concessisse, neque *Naaman* postulasse licentiam adorandi, aut saltem simulandi adorationem idoli, sed solum cum rege ingrediendi templum idoli, comitando illum, et ibidem coram idolo flectendum, sustentando inclinato corpore, quod erat actus muneris sui et politicae observantiae, non sacrae caeremoniae, et ideo non erat simulatio adorationis idololatricae, neque actio per se ma-

« Divinissimus *David* - sapienter ordinavit munus ac ministerium sacerdotale, et sacerdotes quidem convenienter legi mosaicae iussit uti tubis: levitas autem citharis et tibiis et cymbalis, et aliis instrumentis. Utebantur autem ipsi spirituali *Davidis* modulatione. Ex iis unum iussit accersi propheta (*Eliseus*). Illo autem psallente, quod erat agendum, significavit gratia spiritus. In torrente enim iussit fossas fodi, ut procul illato fluento, aqua implerentur fossae, et exercitui usum exhiberent necessarium. »